



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 7. Narcisci Episcopi calumniatores suis imprecationibus puniti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

Ioseph.
lib. 7. de
bell. iu-
daico. c. 8.

Luc. 23. 30
Eccli. 27.
38.

lymitani, quo nonnullæ matres suos edentes
infantes coactæ sunt, quemadmodum Iose-
phus testatur. Et vox est extrema patienti-
mala, qui mori vellent, nec possunt, dolo-
risq; magnitudine victi montibus clamant
cadite super nos. Non ergo tunc tantum la-
pis super caput calumniatorum, sed tot
montes si cecidissent, melius eis fuisset
quàm eam pati calamitatē. Vnde videant
qui calumnijs alios euertunt, quæ eos ma-
neat calamitas, si non in hac vita, saltem in
futuro iudicio. Enimuerò videant, quantum
sit flagitium calumnia. Si enim Deus non
punit ultra meritum, sed citra, vt Theologi
docent, & tamen tam seuerè punit calum-
niantes, potest vtique ex pœnæ atrocitate
intelligi sceleris magnitudo.

§. VII.

Narcisci Episcopi calumniatores suis imprecationibus puniti.

Euseb.
lib. 6. hist.
c. 7.

Hæc, vt homines à calumnijs deterreat,
ex ipsis pœnis à Deo inflictis agnita, in causa
facta est, ne pœna semper in alteram vitam
differatur, sed in terris quoque detegat calum-
niarum fabros. Narrat Eusebius, Nar-
cissum Hierosolymitanum Episcopum à tribus
falsis testibus de infami crimine fuisse
accusa-

accusatum, mox ipsos infamia maxima fuisse notatos. Primus accusator jurauerat, ut ni verum esset hoc eius Præfulis crimen, Deus eum igne perditū iret: secundus morbum sibi regium imprecabatur, ni vera accusarentur: tertius, si falsum diceret, oculis voluit orbari. Falsum probrum, verum illico plexit supplicium. Nam primus in domo nocte incendio correpta, cum omni familia sua flammis vlttricibus conflagrauit. Alter non rex, morbo tamen regio à capite ad pedes correptus & absumptus est. Quorum poenâ percussus tertius resipuit, sed multam non euasit. Videns enim præsentem Dei vindictam ad poenitentiam seriam confugit. Scelus igitur confessus tantis lacrymis defleuit, ut luminibus orbaretur. Redijt igitur & in hunc, quod molirus est alteri, Pro freno nobis meritò sunt ista. *Tentamur his tentationibus quotidie, Domine, ait S. Augustinus, sine cessatione tentamur. Quotidiana fornax nostra est humana lingua. Impe- ras nobis & in hoc genere continentiam. Est qualiscumq; in alijs generibus tentationum mihi facultas explorandi me, in hoc panè nulla est. Aliquam tamen, velut digito intento, monstrant poenæ similium peccatorum. Id-*

S. Augu

stin lib,

10. Conf,

c. 37,

eo enim vel punit, vel finit puniri calumnia
caelestis vindex, vt doceat vitari.

§. VIII.

Crispi innocentis mors morte compensata.

Eutropi-
us lib. 6.
hist. c. 7.
Auentin.
lib. 2. An-
nal Boio-
rum,

Susannam senes primùm procando, de-
inde calumniando oppugnarunt: viri fami-
nam, senes iuuenem; & victi sunt. In con-
trarium & femina iuuenem aggressa est, at-
que malum, quod illi parauit, tulit, Cris-
spum Constantini Imp. ex Mineruina Filii
Fausta vxor Imperatoria deperiit, atque
amore impuro incensa, sapius de stupro in-
terpellauit. Cùm omnia tentasset, illaque
Putipharis vxorem, ille Iosephum strenu-
egisset, tam constans in renuendo, quàm il-
la impudens in prehensando; moecha spe-
sua frustrata; amoreque in odium verso, fu-
riosa mulier priuignum suum ad maritum
derulit, mentita, sibi vim inferre voluisse.
Non nouit feminam, quisquis feminae teme-
rè credit. Constantinus itaque & ipse mu-
liebris ingenij immemor, vxori fidem adhi-
buit, atq; in filium suum, sola accusatione,
nulla probatione reum, exarsit iracundiâ;
neque ad defensionem admisit. Quare in-
auditum Polæ in Histria interemit innocen-
tem. Vicisti, Fausta, triumphâ. jacet in se-
pulchro,